



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

Inventio Capitis S. Vedasti Aliarumquè Reliquiarum Atrebatii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## INVENTIO CAPITIS S. VEDASTI

### ALIARUMQUE RELIQUIARUM ATREBATI.

ANN. MXIV.  
II JAN.

Miracula ad  
inventas reli-  
quias facta.

ANNO MXIV IV Nonas Januarii, inquit *Ferreolus Loerius in Chronico Belgico*, Inventio reliquiarum Ecclesiae Atrebatensis. De ea *Inventione Baldricus in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib. 2, cap. 13*. Ibi vero (*Atrebat in templo S. Mariae*) juxta altare Dei genitricis Mariae, quod B. Vedastus suis diebus consecraverat, anno quidem secundo Gerardi Episcopi, multae et multum pretiosae Sanctorum reliquiae inventae sunt, ad quarum illustrationem diversa miracula per tres circiter annos divina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis usibus solidati, multique a diversis languoribus curati, sospitate donantur.

2 Idem *Baldricus lib. 3, cap. 4, de eadem reliquiarum Inventione ita scribit*: Tunc etiam temporis in

NOT. 47.

monasterio Sanctae Mariae Atrebatensium, juxta altare, multorum Sanctorum reliquias pretiosas contigit inveniri. Ad quarum quidem merita propalanda, divina clementia diversi generis signa et prodigia operante, non solum ex vicinis sed etiam longe positae regionibus, per totum fere biennium multitudo maxima confluebat.

Maximi ad  
eas concursus.

3 *Fatetur Georgius Colvenerius in Notis, se quae aut quales fuerint reliquiae, ab Atrebatensi Ecclesia non potuisse resciscere. At Loerius, Addunt, inquit, Ecclesiae Atrebatensis monumenta mss. Inter cetera brachium S. Vedasti cum capite ejus, et quibusdam membris ipsius, etc. De S. Vedasto plura vi Februarii, et de festo reliquiarum Ecclesiae Atrebatensis alio loco.*

Quae fuerint  
illae reliquiae.

## DE S. SILVESTRO

### MONACHO TRAINÆ IN SICILIA.

ANNO MCLXXXV  
II JAN.  
ET II MAII.

S. Silvester fuit  
monachus.

Visit sepul-  
chrum S. Aga-  
thae.

Silvester ex ordine S. Basilii monachus colitur II Januarii et II Maii, frequenti populi concursu Trainae in Sicilia, ex Julii III Pontificis Maximi concessione, ut testantur Octavius Cajetanus noster in *Idea operis de Sanctis Siciliae, et Philippus Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum. Est Traina, aliis Trayna, Troina, Troyna, Trojanopolis, Trajanopolis, Dragina, Mediterranea Siciliae urbs in colle edito sita, olim Episcopalis, de qua agit Thomas Fazellus rer. Sicular. decad. i. lib. 1 et 10, sed quod eam esse censet Trajanopolim, quam L. 1 de censibus, coloniam juris Italici appellat Ulpianus, aliis minus probatur, qui isthic in Cilicia legendum, non in Sicilia, arbitrantur. Paulo infra urbem, inquit idem lib. 10 Fazellus, ad P. M. II. Meridiem versus, aedes D. Michaelis super collem erecta, et coenobium D. Basilii illi adjunctum extat, a Rogerio Comite, parva contra Saracenos victoria, pro triumpho dedicatum. In hoc S. Silvester vitam degit; a quo locum quemdam S. Silvestri appellari existimo apud eundem Fazellum, ad mille passus a Troina, ubi veteris urbis vestigia etiamnum, aedium, inquam, murorum ac pyramidum ex quadratis lapidibus clarissima spectantur cadavera.*

2 S. Silvestri res gestas, ex lectionibus quae ejus die festo recitantur, ita describit *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae ad II Maii*: Silvester Troynopoli honestis religiosisque parentibus, Guilielmo Siciliae Rege, ortus, pieque educatus, coenobium S. Michaelis Archangeli ordinis S. Basilii, habitum monasticum induens, ingreditur. Ubi brevi eos progressus fecit, ut ceteros vitae asperitate suique ipsius abnegatione antecelleret. Peregrinandi cupidus de Abbatibus licentia v Id. Februarii Catanam ad corpus B. Agathae Virginis et Martyris venerandum venit. Qua in re illud mirandum, quod cum Catana a Troy-

nopoli XL millibus passuum absit, (quae quis equo per diem aestivo tempore vix confecerit) Silvester tamen pedester hiberno tempore Catanam profectus, ac precibus ad Virginis tumulum persolutis domum eadem die reversus est.

3 Cum furnarius panem cocturus, scopam, qua furnum ardentem prunis mundaret, minime reperiret, querereturque quod mora pani detrimentum adferret, Silvester signo Crucis munitus illum ingressus, prunis ardentibus in unum collectis, vestis suae extremitate tersit. Quare Abbati nuntiata, accurrens cum monachis e furno Silvestrum illasum exeuntem vidit: ac ex ea die apud monachos Silvester coepit esse venerationi.

Ardentem fur-  
num intrat.

4 Romam, ut loca sancta inviseret, summique Pontificis (a quo ob sanctitatis famam benigne exceptus est) pedes deoscularetur, profectus; iis peractis, perceptaque Pontificis benedictione navem conscendit, et Panormum appulit. Ubi cum Regis filius gravissime aegrotaret, ad Regem accedens bono animo illum esse jubet; et ad filium jam morti proximum deductus, fore ut brevi incolumis evaderet ait. Quem medici delirare existimantes, et illudere volentes, porcae urinam afferri curant, ex qua ille aegroti morbum agnosceret: quam illico Silvester esse porcae decem in utero suillos habentis urinam dixit. Sicque illa Regis mandato mactata et aperta deprehensum est, et Silvestro habita fides: qui omnibus e cubiculo ejectis, cum precibus Deo effudisset, filium Regi reddidit incolumem. Cumque Rex Silvestrum, ut quidquid vellet posceret, instanter rogaret; thynni tandem, cujus ingens copia capi solet, parum pro coenobio petiit. Qui petitionem exilem miratus, aliquot thymorum tegetes perpetuo quovis anno dandos decrevit: quibus ad haec usque tempora fruuntur.

Occulta et fu-  
tura novit.

Agrum pre-  
cibus sanat.

3 Reversus